

materia corporum naturalium inculcare suis satagunt, dividunt primò Materiam in primam & secundam: Deinde de materiâ primâ quærent 1. An sit? 2. Quid sit? 3. Qualis sit? Dari materiam primam, probant *ex transmutatione Elementorum*. Ignis, inquit *Arriaga disp. 11. Phys. sect. 1. p. 246.* quando convertitur in terram, manent in terrâ multa accidentia, quæ fuerant in igne, nempe calor, qui est idem numero, qui erat antea. Ergò manet aliquod subjectum commune, quod antea fuerat, sed hoc non est forma ignis, qui hic planè perit, ergò ignis aliquid substantiale dicit ultra formam, hoc autem est materia prima. Et hanc rationem tanti facit *Zabarella*, ut patet, nullam aliam esse viam, quâ ad Materiæ primæ notitiam pervenire possimus, nisi illam unam, quâ Aristoteles illo primo libro usus est, sumtam à mutatione substantiali. Etenim, inquit, hoc unico medio ostendi potest Materiam primam dari & nullo alio &c. Quod verò, pergit, alii dicunt, posse primam materiam probari medio Mathematico, sic: datur purus actus, ergò pura potentia, vanum est: Dialectica enim & probabilis est ratio, quæ nihil habet necessitatis. Eodem modo procedunt *Conimbricenses l. 1. c. 9. q. 1. art. 1. p. 191.* Cum ignis ex aquâ ignem generat, aqua non ex toto interit, neq; in nihilum abit, siquidem posse in nihilum redigere solius divinæ virtutis est: manet ergò aliquid, quo superstitè & servato, fiat aquæ in ignem conversio. Id autem non est forma aquæ, siquidem hæc nequit cum formâ ignis in eodem composito coherere, est igitur materia. *Jacchæus*, probat eam ex mutationibus cum naturalibus tum artificialibus, cum substantialibus tum accidentalibus, quia, inquit, prima quæstio est, an sit, videamus & nos, an sit necesse ponere talem aliquam materiam. Sanè quicumq; considerârit mutationes tam naturales quàm artificiales, fatebitur, esse eam in naturâ necessariam. Omnis enim mutatio accidentalis præsupponit subjectum; nam quando ex frigido aliquid fit calidum, ex humido siccum, necesse est, substernere huic mutationi aliquod subjectum. Nec enim unum contrarium alterum recipit, sed potius expellit. Necesse est ergò, dari aliquod

quod